Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31660
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

niant bona. quorum dampnatio iusta est.
Si autem dicit et ipsa non concupisces, sic multa
precepta euuangelica testificari et clamare non
cessant. quare lex factorum et ipsa non dicitur?
Neque quia non habet opera ueterum sacramentorum cir-
cumcisionis uidelicet atque ceterorum. ideo non sunt
opera que habet in sacramentis suis huic tempori
congruis. Aut uero de operibus sacramentorum questio
fuit quando initio legis ob hoc fiebat. quia per
ipsam cognitio peccati est. et ideo ex ea nemo
iustificatur. Unde non per illam exclusa est gloriatio.
sed per legem fidei, ex qua iustus uiuit. Sed numquid et per
istam cognitio non fit peccati. cum et ipsa dicat,
non concupisces? Quid igitur est breuiter dicam. quod o-
perum lex, minando imperat. hoc fidei lex,
credendo impetrat. Illa dicit non concupisces.
ista dicit, cum scirem quia nemo esse continens
potest nisi deus det. et cum hoc ipsum erat sapi-
entie scire, cuius esset hoc donum. adii do-
minum, et deprecatus sum. Ipsa est illa sapien-
tia que pietas uocatur. qua colitur pater luminum.
a quo est omne datum optimum. et omne donum
perfectum. Colitur autem sacrificio laudis. actioni-
busque gratiarum. ut cultor eius non in se ipso. sed in
illo glorietur. Ac per hoc, lege operum dicit deus. fac
quod iubeo. lege fidei dicitur deo. da quod iu-
bes. Ideo enim iubet lex. ut admoneat
quid faciat fides. id est. ut cui iubetur si non dum
potest. sciat quid petat. Si autem continuo potest
et obedienter facit. debet et scire. quo donan-
te possit. Non enim spiritum huius mundi accepi-
mus. ait idem constantissimus gratie predicator.
sed spiritum qui ex deo est. ut sciamus que a deo donata
sunt nobis. Quis est autem spiritus huius mundi. nisi superbie
spiritus. quo cor insipiens obscuratum est. eorum qui cog-
nitum deum non ut deum gratias agendo glorifica-
uerunt. Nec alio spiritu decipiuntur et illi qui
ignorantes dei iustitiam et suam uolentes con-
stituere: iustitie dei non sunt subiecti. Unde
mihi magis uidetur esse fidei filius. qui nouit a quo

quam qui sibi tribuit id quod habet. quis utique eorum preferendus sit qui habet
et nouit a quo habet

speret quod non dum habet, si tamen non se credat
esse quod non dum est: ne incidat in uicium illius pha-
risei. qui quamquam deo gratias ageret ex his que ha-
bebat. nichil tamen petebat dari sibi. tamquam ni-
chilo indigeret. ad augendam perficiendamue
iustitiam. His igitur consideratis. pertractatisque pro uiribus
quas dominus dare dignatur. colligimus non iustifica-
ri hominem preceptis bone uite. nisi per fidem ihesu
christi. hoc est non lege operum. sed fidei. non littera. sed spiritu.
non factorum meritis. sed gratuita gratia. Ex tr. R. c. xviii.
Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Fac-
torum? Non. sed per legem fidei. Hec est lex fidei, qua
credimus et oramus per gratiam nobis donari. ut
faciamus quod per nosmetipsos implere non pos-
sumus. ne ignorantes dei iustitiam. et nostram
uolentes constituere: iustitie dei non simus
subiecti. In lege itaque factorum est dei iubentis
iustitia. in lege autem fidei. subuenientis misericordia.
Arbitramur enim iustificari hominem per fidem. si-
ne operibus legis. Ex sermone de ymmolatione ysaac.
Credidit abraham deo. et reputatum est illi ad
iustitiam. et amicus dei appellatus est. Quod credidit
deo, intus in corde in sola fide est. quod autem im-
molandum duxit filium. quod intrepidus dexte-
ram armauit. quod iam feriret nisi uoce tene-
retur. magna fides est utique. sed et magnum opus.
et ipsum opus laudauit deus cum diceret. quoniam ex-
audisti uocem meam. Quare ergo apostolus ait. arbitra-
mur iustificari hominem per fidem
sine operibus legis. et alio loco dicit. et fides que
per dilectionem operatur. Quomodo fides per dilectionem
operatur. et quomodo iustificatur per fidem homo sine
operibus legis? Credidit aliquis. percepit fidei sa-
cramenta. et mortuus est. Defuit operandi tempus.
Quid dicimus. quia non est iustificatus? Plane dicimus
iustificatum credentem in eum qui iustificat im-
pium. Ergo iustificatus est iste. et operatus non est. Im-
pletur sententia dicentis apostoli. Arbitramur
iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.
Latro qui cum domino crucifixus est. corde credidit ad